

DISSE^TRAT^O JURIDICA
DE
JURAMENTO
IN
LITEM AFFECTI-
ONIS,

Quam
Consentiente Illustri JCtorum Ordine
PRÆSIDE
PHILIPPO BALTHASAR
GERDESIO,
J. U. Lic.

Loco Horisqve consvetis

Die Februarii Anno M DCC X.
defendet

RESPONDENS
JOHANN GEORGIUS SCHILLING,
GRYPHSWALDA-POMERANUS.

GRYPHSWALDIAE,
LITERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII
REG. ACAD. TYPOGR.



VIRO
GENEROSO ATQUE STRENUO,
DOMINO
CHRYSANTO FRIDE-
RICO DE MAGDEBOURG,
Regii Dicaesterii per Rugiam & Pome-
raniam Svecicam ASSESSORI
longe gravissimo,
Dynastæ in PENTIN, &c.
NEC NON
PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,
PRUDENTISSIMOQUE
DOMINO
JOACHIMO Westphal/
Inclytæ Civitatis Gryphiswaldensis
SENATORI meritissimo,
Cognato suo honoratissimo,
Susceptoribus ex SS. Baptismate,
Patronis, Benefactoribus suis summe deveneran-
dis ac colendis,
DISSERTATIONEM HANC
Cum ardentissimo omnigenæ felicitatis voto
dicat & conlectat
RESPONDENS
JOH. GEORGII SCHILLING.



PRÆFATIO.



Niversa juramenti in litem
materia adeo perplexa habetur ac diffi-
cilis, ut de ea Raphaël Fulgos. circa
hunc ff. Tit. sit. prefatus, se istum num-
quam intellexisse, dum Scholaris fuisse
& subtilis, ut audit Dn. Zasio ad h. t.,
Juris Consultus Job. Fäber, se hic potius
velle discere quam docere, confessus.
Quibus noviter suum addidit calcu-
lum Dn. Thomassus in Disserat. de Prestio Affect. in res fun-
gibles non cadente, quando CAP. III. §. 2. ita ait: Si ullus
unquam Titulus juris Romani diffusionibus Inter-
pretum fuit obscuratus, certe hunc Titulum merito
huc referendum arbitror, ita fere nulla propositio est,
quæ non inepta qvorundam expositione fuerit in du-
bium vocata... Qvod quam vere etiam sit dictum, vitium
tamen est, id in aliis culpare, in quo nemo magis ac idem Dn. Tho-
masis peccavit. Ut enim taceamus, quod citata Disserat. omnes
novas subtili DD. ingenio excoitatæ opinions sedulo conqui-
siverit, easque fecerit suas, maxime suis inventis banc impli-
cavit doctrinam, eamque longe obscuriorem redditit, adeo ut
non abs re esse existimaverim, Juramentum in litem affectionis
seligere, selectumque pro ingenii modulo, si non exprimere, sal-
tem adumbrare atque a factis fucatisque vendicare opinionibꝫ.
Qvod ut Bene Vertat, DEUM supplicamur.

A

CAP. I.

CAPUT I.

§ I. Operis introduc^{io}. § II. Juramenti in item definitio.
 § III. Ejus divisio. § IV. Juramenti in item veritatis descrip^{io},
 et quoque existentia defenditur. § V. Definitio Juramenti in item
 affectionis, s^{ic}que dari probatur. § VI. Juraments in item interesse
 singularis recte DD. non agnoscere, offenditur contra Thomassum
 & Ludovicum.

§. I.



Uris jurandi nomen quid sit, nemini ne
 puerulis quidem ignotum, jurandi passim effect
 cacoëtes & rei sanctissimæ his tam profanis mori
 bus nimis familiaris abusus, prout vere ac gra
 viter scribit Rob. Sanderson de juramenti promiss.
 Obligat. Sect. I. §. 2. Nullam ergo de hujus vocis
 Etymologia item movebo, nec de reali ejus defi
 nitione pluribus agam, cum ea ad generalem pertineat de juramen
 tis tractationem, de quibus totos conscriperunt tractatus Viri Clas
 sissimi Theologi pariter ac Juris Consulti, Thummius, Setserus, Ser
 apionius de Seraphin, &c. qvos videat, cui vacat. Exstant autem
 varia apud J^ctos juramentorum divisiones seu distinctiones, qvas
 operose concessit Dn. Lauterbach. in Compend. suo Tit. de Jure
 jurando, atq^e illustravit Dn. Ludovicus in Usu distinct. Practico
 eodem Tit. Qyarum omnium tamen nobilissima nec cuidam,
 qvem quidem de juramentis ex professio agentem vidi, prætermissa
 ea est, qvā distinguitur in assertorium & promissorium, qvæ inter
 licet nonnullæ intercedant differentiæ, cum illud de rebus præteri
 tis & præsentibus, hoc de futuri interponatur; damnamus tamen
 singularem Grotii opinionem sectam Anabaptistarum teste Tefmaro
 ad Grot. Libr. 2. Cap. 13. §. 2. n. 1. lit. a. subolem, qvando
 assertoria quidem novo fædere licita pronuntiat, promissoria vero
 illicita. Utraque enim utroq^e Testamento concessa esse, licet in
 promissoriis major adhibenda prudentia, ne temere qvid jurato qvis
 promittat, qvod humeri ipsius deinceps ferre recusant, probat iste
 Tefm. l. c.

§. II. Spe-

§. II.

Species vero juramenti assertori, de cuius justitia nec ipse Grossius ambigit, est Juramentum in item, quod Generaliter consideratum est, quo proper dolum aut culpam rei non restituenter aut solventer aliquis item estimat. Litis vocabulum hic improprie & Metonymice accipimus, pro ipsa re, quae in controversiam deducta, sic item estimare idem est, ac rem, in item deductam, taxare, L. 47. ff. de rei vind. L. 8. ff. de in lit. jur. L. 36. ff. de verb. signif. quo sensu quoque lis mortua dicitur L. 21. ff. jud. solv.

§. III.

Cujus juramenti in item tres quidam DD. statuunt species, ita, ut aliud dicant juramentum in item veritatis, aliud affectionis, aliud denique singularis interesse Borch. Tract. de juram. in lit. Cap. 2. Quae omnes & singula ab aliis Doctoribus acriter impugnant, ac negantur, quod quam recte fiat, paucis examinandum erit.

§. IV.

Juramentum in item veritatis, est, quo Lis, quanti revera est, ab auctore estimatur, & toties locum habet, quoties Judex sine juramenti delatione non potest estimare rem restituendam, quia per culpam rei non exstat, cuius casum eleganter exhibet Dn. Tabor ad Coll. Argent. Tit. de in lit. jurando §. 4. Conf. Dn. Pres. Diüs. Inaug. de Remed. Subsid. Cap. ult. num. 18. Quid nos hic amplius statuimus, quando in causa dolii vel contumacia versamur, Juramento in item veritatis locum esse, etiam si aliunde, sed difficili probatione, de rei pretio vel vero interesse constare possit, arg. leg. 3 ff. b. t. Cujus utriusque ratio est in aprico, ne scil. actor cum summo suo incommodo ac damno, re perempta, ad impossibilem vel difficultatem adstringatur probationem, neve in rei praedictum Judex auctoris nudum assertum sequi debeat, conf. Lynker. in Comment. J. C. Tit. b. th. 20. Frustra ergo cum Hübero & Wüs. P. I. Diff. Pandect. 14. th. 24. Dn. Thomasius hoc juramentum in dubium vocavit. Licet enim appellatio ipsa in jure nullibi occurret, sed saltem sit doctrinalis, ipsam rem tamen satis in jure nostro fundatam esse, probatum dedi in eis. Disserat. Inaug. l. c. quibus

nunc addimus Leg. 3. §. 2. *Commod.* Ubi agi de juramento in item veritatis, tum ex formula, *Quantires sit*, patescit *Brunnen*. ad Leg. 3. ff. *Commodar.* tum quod ibi dicatur, quando venitur ad estimacionem per juramentum in item, tunc in actionibus bona fidei inspici tempus sententiae, in negotiis vero stricti iuris lejis contestata, quod accipi oportet de juramento in item veritatis, & quod affectionis in stricti juris actionibus cesseret, & quod circa affectionis juramentum non queratur, cuiusnam temporis in estimatione ineunda ratio haberri debeat? quoniam illa rora est in affectione jurantis *Lyrk. cit. loc. Thes. 23.* Add. ad majorem illustrationem *Borcholt Cap. II. per nos.*

§. V.

Juramentum in item affectionis utpote secunda species juramenti in item, quodque eximie juramentum in item dicitur teste *Brunnen*. ad Leg. 2. b. t. (quoniam hoc non perpetuo §. fin. L. 5. ff. b. t.) est quod Actor ob dolum adversarii non restituentis rem in judicium deductam estimat ultra verum rei pretium, pro singulari sua in rem affectione, *Vetus in Comment. ff. b. Tu. §. 2.* Existentiam hujus in jure nostro negare auct. *Beritachin in Repertorio iuris vot. Juram. in item. Corasius Libr. 6. Miscell. cap. 9.* *Lyclama in Comment. de ineunda rei deb. estimat. ad L. 27. de reb. cred. n. ult. modi lego 33. ff. ad Leg. *Aqvileam.* L. 63. ff. ad Leg. *Falcid.* L. fin. §. 2. ff. de operis *Serv.* L. 1. §. 15. siquid in *Frandem Patroni*, quorum tamen dubii ex esse satisfecerunt *Wissemb.* cit. loc. *thes. 44.* *Borcholt. loc. & Dn. Thomasius dicta Dissert. §. 6. & seqq.* Nec quicquam obstat, quod tamen nominetenus in jure nostro haud obveniat juramentum in item affectionis, nam fatemer haec denominatio nem itidem à DD. inventam, sed eam simul legibus nostris erat, iisque consoliam esse, multis probatur textibus, ex quibus legi possunt, L. 1. 4. 8. b. t. L. 2. Cod. codem. L. 68. de rei vindic.*

§. VI.

Ultimam speciem iuramenti in item, quam DD. vocant interesse singularis, jure non agnoscit *Dn. Lauterb. b. t. in fin.* cuius mentionem non assecutus videtur *Dn. Thomas.* alleg. *Dissert. cap. 3. §. 36.* qvem,

(3)(3)

quem, ut semper fere, ita & nunc fecutus *Dn. Ludovicus* in *Uisu suo*
praff. Difindit. cum, quem habet consentientem, nihilominus refel-
lere conetur *D. II. b.t.* Nec enim unquam Lauterbachio & Brunn
in mentem venit, inficias ire, dari affectionem extra rem ejusque
rationem esse habendam, (*vid. Lauterb. Tit. de minor.* Ubi eandem
Legem 35. Tit. de minor. pro qua vitiote *Dn. Ludovicus* Legem 38.
ead. allegavit, adducit. Add. Brunnem. ad Leg. 3. in fin. ubi habet
exemplum aff. extra rem,) sed saltu eorum improbat sententiam,
qui juramentum in item extra rem diversam à juramento in item
affectionis statuunt speciem, sicutque species citra necessitatem mul-
tiplicantur. Quid ex mente Lauterbachii omne juramentum affe-
ctionis singularis esse debet affectionis, cum ex sua affectione spe-
ciali in rem jurat, non ex communī estimatione. Quare si res,
super qua jurandū, per se rara, & ab omnibus pro tali habetur,
quatenus tum ex communī hac estimatione jurat, male ejusmodi
juramentum in item dicitur affectionis, cum revera sit veritatis,
ut pote notum est, quod pretia rerum ex eaurū raritate augeantur,
& quo rarior quāvis res est, eo carius communiter vendi soleat,
secundum, quod in omnium versatur ore, *Juris Brocardicum.*
Tanti res valeat, quanti vendi potest; *Andr. Dinnerus tr. de iusto*
rerum pretio definiendo Ques. 2. n. 5. ibique alleg. DD. Si ultra
communem istam estimationem ejusmodi rem rarari ex speciali
sua erga illam affectione juramento in item taxat, erit demum
propriissime juramentum in item affectionis extra rem, non in
ipso re radicata. Immeritos ergo *Dn. Ludovicus Brunnemannus*
& *Lauterb.* arguit, quasi illi negaverint, propter affectionem extra
rem, juramentum in item affectionis locum habere, cum illi aq[ui]
ut ipse, ajunt: *Affectionis extra rem in sensu Dn. Ludovici v. gr.*
si res à Principe alicui donata, rationem habendam, imo amplius
diceret videtur, omnem affectionem extra rem facere, ut juramento
in item affectionis sit lotus. Ultimo *Dn. Ludovicus* ignorare no-
luit vim termini interessus singularis, quid nimirum eo Plotus à Lau-
terbachio alleg. intelligi velit? Si quidem eo sensu quo *Plotus Tra-*
dat. de Jur. in lit. §. 52. n. 3. ex sensu Pauli de Castro Jasonis &
aliorum explicat juramentum in item extra rem, vel interesse sin-
gularis,

gularis, exempla à Ludovico adducta sunt plane impertinentia; Longe enim abeat, ut Plotus ejusmodi exempla ponat in exemplum affectionis extra rem, ut potius cit. loc. expresse ea referat ad interesse affectionis siye ut male id Dn. Ludov. vocat, in ipsa re radicatum, oppositum affectioni interesse singularis; Qvæ omnia magis clarescent ex exemplo qvod cit. loc. adducit Dn. Plotus, ut puta liber manu mea vel Patris vel alterius docti apostillatus posset mihi esse carus centum aureis, vel qvia in eo studui, cum tamen communis assumptione non reperiretur nisi decem.. Ejusmodi affectio secundum Ludovici loquendi stylum est extra rem, ut revera suo quoque sensu est, nec tamen à Ploto aliisque tertiam juramenti in item speciem afferunt, eo refertur. Admiratione ergo dignum, Dn. Ludovicum, qui neglexit sensum juramenti in item interesse singularis Dni. Ploti aliorumque, qvos rejicit Dn. Lauterbach. cit. loc., tamen ambiguo nominis sono deceptum, DD. hanc tertiam speciem non agnoscentes, refutare ausum fuisse. Remanent ergo saltem duæ species juramenti in item, nec Exemplum Ploti ex leg. 3. ff. de in lit. jur. tertiam extorquet, cum in promptu ad illum Textum sit responsio scilicet, juramentum in item affectionis qvæ pecuniam plane exulat, cum sit res, in quam specialis cadere nequit affectio, si mea interfuit, nummos mihi sua die redditos esse, tum de isto interesse Jūdex juramentum quidem mihi deferre potest, qvod tamen erit veritatis, si juraverim, qvanti meā re vera interfuit, eos sua die redditos, conf. Borch. c. l. ubi fulcē probat hanc tertiam speciem citra necessitatem à DD. efficiam, eamque in unam ex duobus prioribus recidere. Consentit Lynck Comm. ad Tit. ff. de in lit. jur. lib. 3. cap. 2.

CAPUT II.

§. I. Ordo dicendorum. §. II. Causa efficiens hujus juramenti. §. III. Quis defert & an necessario deferendum. §. IV. Defersit ob dolum & latam culpam rei, non ob levem, cuius occasione deciditur an & quando contra heredem locum habet?

§. I. Acturi

(7)

Acturi nunc specialius de Juram. in lit. affect. Cap. precedentibus descripto, totam tradationem despiciimus in quatuor sectiones. 1. evolvatur causa efficientis nostri juramenti. 2. habilitas personae jurantis. 3. qualitas & natura rei ad hoc apta. 4. demum debita actionis qualitas, ubi simul paucula de effectu subjiciemus.

§. II.

Et quidem ipsa fuit exigitas, quae legislatorem ad hoc jurisdictionem introducendum commovit. Quid enim magis exequum, quam ut actor, qui sine facto suo alieno delicto rei sua possessione ac dominio invitus privatior, in quendam hujus damni compensationem ultra verum pretium beneficio hujus juramenti consequatur assumptionem ejus non ex communii valore, sed ex affectione ac arbitrio suo. Nec iure de legum durtie reus conqueritur, dum potius propriam suam malitiam incusare debet ac contumaciam, quod legibus obseqvi, ac evitate noluerit, quo minus in illud condemnetur.

§. III.

Ne tamen hujus juramenti usus degeneret in abusum, leges civiles prudenter caverunt, ut solum penes judicem istud deferendi sit potestas Leg. 4. b. l. Cui consequens, ut, si alio deferente aut nemine, juratum sit, nulla sit religio, nec ullum jusjurandum L. 4. §. 1. eod. utrum vero Leges judici adeo laxam indulserint potestatem, ut in ejus sit arbitrio, an omnino ab initio deferre velit, vel non, mirum DD. defudantur? Communiter tamen indistincte Judici licentiam deferendi vel non largiuntur. Eek. ff. b. 1. §. 3. &c. Quorum opinio mihi quidem videtur temperanda ac restringenda ad casum, quo Actor adhuc possidet & contumax est in restituendo, tum enim Judicis arbitrio relictum, ut pro qualitate circumstantiarum vel rem manu militari afferat, vel jusjurandum deferat, & de hoc casu accipienda. L. 68. princ. ff. de rei vend. L. 4. §. 2. L. 5. §. 1. ff. b. 1. Sin de dolo adversarii aperte liqueat, nec res manu militari juxta Leg. 68. de R. V. afferri queat, judicem utique oportet actori ad ejus instantiam permittere, ut juramento in item affect. rem suam, qua dolo rei carere debet, assimet ac taxet, quod

quod si facere recusat, ab ea appellari potest secundum communem opinionem. *Plot.* d. v. §. 47. n. 16. Et de hoc ultimo casu commode accipi possunt verba initialia §. 1. L. 4. b. t. quanquam Bach ad *Treut.* V. 1. d. 2. thef. 21. lt. c. aliter, commodo tam sensu, paragrapnum istum exponat. Qvo adhibito temperamento non opus est temeritate. *Ant. Fabr.* Dec. 12. Err. 10. violentas inferentis manus cit. *Leg.* 4. quem idcirco merito reprehendit *Vine* nius L. 1. qv. 45. in fin. quanquam ille paulum aliter, sed obscurius, difficultates has expediatur. Qvo casu nunc Judex habet facultatem jusjurandum in item affectionis deferendi, vel non, eo potest etiam isti certam adjicere quantitatem, ne, arrepta occasione, in immensum juretur. L. 4. §. 2. b. t. Econtra quando Judex compelli potest, ut id defterat, tum jure in infinitum, nec modum Judex jurirando statuere potest. L. 48. de R. V. Cujus ratio & collectio aperta est in *Leg.* 4. §. 1. *Leg.* 5. §. 1. b. t. secundum quas tum Judex potest & taxare quantitatem, in quam juretur, & ideo potest, quia in totum jusjurandum non potest deferre. Com itaque reus dolo desierit possidere, potestatem deferendi vel non, Judex sibi jure arrogare nequit, sed praecise ad istud deferendum adstringitur; Ergo nec hoc casu poterit modum statuere, ad quem usq[ue] juretur. Qvo casu vero Judex certam praesigere potest quantitatem, ea non debet continere veram rei estimationem, sed eam excedere, ne contumacia maneat impunita.

§. IV.

Causa qvaz Judicem movete debet ad deferendum: hoc jusjurandum est dolus rei restituere iussi, qui vero vel detrectat per contumaciam, L. 36. in fin. de pecul. L. 1. 2. §. 1. L. 8. b. t. vel non valet, quia dolo desit possidere. L. 68. de R. V. L. 25. §. 10. de *Her. Pet.* Et doli quidem vocabulum ita interpretamur, ut levem culpam excludat, L. 4. §. fin. L. 5. §. 3. b. t. *Gail.* 2. *Obs.* 64. n. 9. *Mys.* 5. *Obs.* 71. adeo, ut nec excipiamus causam Tutoris, contra quem secundum quosdam etiam ob levem culpam in item jurari potest per *Leg.* 4. *Cod.* b. t. qvaz opinio licet *Ploto* d. tr. n. 766. *Phanuc.* cod. tr. P. 2. C. 2. n. 12. *Card.* *Tusch.* *Praef.* *Concl.* 439. communis dicatur, caret tamen fundamento, haud qvicquam attentâ,

attentā, L. 4. *Rubrica*, utpote qvæ non authentica, sed Saliceti
Jcti vox est; Potius cit. leg. præsupponendum est, tutorem, si
inventarium & cetera nō exhibeat, hæc dolo fecisse Schurp. Cent. 2.
Conf. 41. eamque ob causam ipsi solet deferri juramentum, qvo se
à dolo purget, ne contra illum in item jurari possit, *Mev. P. VII.*
Dec. 282. Comprehendimus tamen nomine doli latam culpam,
L. 2. C. b. t. *Mev. c. l. Carpzov. P. I. C. l. 23. d. 18. n. 5. Düs.*
Seraphin de Seraphin Pr. 31. n. 58. Plot. f. 48. n. 13. ubi nega-
tivam dicit communem add. *Schottian. b. t.* qvi omnes dictam l. 2.
restringunt ad tutelam, qvō tamen milii committere videntur fal-
laciā accidentis, cum ex fortuita ista Personæ circumstantia deci-
sionem sumere volent. Stamus ergo potius regulæ communi,
secundum qvam doli nomine continetur lata culpa, si agatur de
pecuniariori interesse. L. 226. de verb. signif. &c. &c. licet particula
taxativa dolii vocabulo addita sit L. 1. §. 5. de O. A. *Bargal. Tr.*
de Dol. l. 5. c. 2. n. 6. à qva ut hic recedamus, nulla prægnans
ratio produci potest. Ubi autem reus nec dolii, nec latae culpe
argui potest, contra istum nec juramentum in item affectionis
præstari potest. Unde ex communi DD. sententia *Museard. de*
Prob. C. 371. n. 17. Phanno. d. tr. d. 2. c. 2. P. 2. n. 11. statuitur
ob dolium defuncti contra hæredem id locum non habere, tum
argumento L. 4. 5. *Cod. b. t. juncta leg. unic.* C. ex delicto def. tum
qvod per hoc juramentum poena qvadam dolii, imponatur qvam
hæres non sufficeret; qvod tamen limita ex L. 4. eod. nisi lis cum
defuncto contestata *Museard. C. 447. n. 3.* qvam limitationem sine
causa sufficienti rejicit Bach. ad W. b. t. cum aperte fundata in l. 4.
C. b. t. & poena contumacia, qvæ hic rei estimatio est, bene in
hærede obtinere potest, L. unic. C. ex delicto defuncti §. 1. in fin.
de Perpet. ac Temp. aff.

CAPUT III.

- §. I. Quid juramentum in lit. aff. prestat? §. II. An creditor
Hypotheclarus? §. III. An bares Aloris? §. IV. An pupillus,
Tutor, minor, & Mater turrix, item an Preceptor, jurare possint?
§. V. Nemo ad juramentum cogi potest?

B

§. I. Quid

§. I.

Qualitas personæ jurantis ex duobus cognoscitur. (1.) Ut sit Dominus litis: (2.) Ut eam suo nomine sit contestatus, prout hæc duo conjunctim in L. 7. ff. b. i. requiruntur. Ergo quicunque est Dominus actionis, licet non rei, eamque suo intentavit nomine, is ad istud admittendus est. In quo vero alterum desideratur, arcendus est.

§. II.

In specie vero de Creditore hypothecario controvertitur, an is juramentum in Lit. affect. præstare posse? Ubi qvidem tot scrupulos movet Ant. Faber Libr. 16. Conj. 15. ut eos superare difficile sit, qvanquam Meier. Dec. 7. cap. 1. in évodozios Justinian, se omnes amovisse crediderit. Nobis non vacat singula eorum momenta excutere, inde nostram saltem opinionem, qvâ nostro qvidem judicio omnis dissensuum fluctus componi potest, paucis proponemus. Scilicet si dolo res oppignorata non restituatur, tum natura actionis hypothecaria & persona actoris admittuntur juramentum affect.; cum tamen insuper requiratur affectio in rem specialis, primo intuitu dicendum videtur, creditorem præstare juramentum affectionis non posse. Qvalem enim qvælo singularem affectionem jure in rem qvoque tempore revocabilem habere potest? Sed supereft adhuc, ut juret creditor, qvanti sua intereat, se rem oppignoratam possedit, cuius estimatio cum valde sit incerta ac qva tota ex affectione dependeat, ratione ejus adhuc juram. in lit. affect. locum habere posse videtur. Qvod si enim Actori ob dolum rei permittatur interesse suum speciali sua affectione plurimi, ultra communem forsan estimationem, estimare, adhuc juramentum in item affectionis ipsi delatum censemur. Contra si actori id, qvod sua interest, non simpliciter pro arbitrio suo & pro sua affectione estimare concedatur, sed tantum, ut, qvod vere sua interesse putaverit, jure jurando definit, erit saltem juramentum in item veritatis. Sic ex accidenti contingere potest, ut creditor, cui juramentum in lit. affect. delatum, quando saltem juravit, qvanti communiter uniuscujusque interest, possessionem retineri, computato damno illato & lucro intercepto, revera præstet juram. in lit. veri-

veritatis, cuius causa non est, quod non debuit, sed quod nescivit
speciali aliquo affectione communem estimationem excedente,
estimare interesse suum. Et ita tolli possunt difficultates, quæ legi
10. §. 3, ubi expresse juramentum affect. Creditori actione hypo-
thecaria agenti deferendum asseritur, objiciuntur, quanquam lu-
bens concedam, hanc nostram utpote communem opinionem ab
alii non sine ratione in dubium vocari.

§. III.

De Hærede Dni. Litis quoque vari solet, an juram. in Lit.
affect. præstare possit, si Dominus ante præstitum mortuus? Ubi
quidem Gail. l. 3. Obs. 43. & ex eo Tabor in noi. ad C. A. b. t. th. s.
respondent, juramentum à defuncto pro præstito haberet, & mor-
tem loco juramentum esse: quod si concenserit, ubi Judex certam
præfisivit quantitatem, ad quem casum trahi potest decisio Me-
rri 374. P. VI. alias frigide omnino dictum videtur, dum constare
dequit, in quam Summam defunctus juraturus sit. Necesse ergo
erit hoc casu hæredi permittere, ut vel de credulitate super affecti-
one defuncti, vel si rei notitiam habeat, & sibi comparare posse,
de sua affectione juret, cum æque ut defunctus sit litis Dominus
eamque suo nomine contestatus habendus, quod ipse & defunctus
una eademque censenda persona. Vid. Nic. à Noalis de transmis-
sione cap. 54. n. 2. seqq.

§. IV.

Minorenem in item jurare posse, constat ex lege s. pr. in fin.
b. t. & vix dubium habere potest, cum & Dominus sit litis, & eam
suo contestetur nomine. In pupillo vero diversum placuit, cit.
pr. l. 4. b. t. cuius diversitatis rationem vid. apud Borch. C. 3. n. 23.
tr. de in lu. jur. Hanium b. t. n. 4. Loco pupilli tamen & minorum
admittendi eorum Tutores Curatoresque, si velint. Cogi enim
non possunt, cum grave visum, eos & ignorantes & invitatos sub
alieni compendii emolumento anceps subire perjurium l. 4. ff. b. t.
Quanquam vero ex ratione supra dictæ regulæ prouersus arcendi vi-
deantur, favore tamen pupilli aliud placuit, nec sine ratione, ut
est videre apud Borch. dict. tr. c. 3. n. 16. 17. Quando autem Tutor
vult jurare, juramentum in utilitatem pupilli concipiendum est,

ac ita jurare debet, se, si pupilli loco esset, tanti eam rem estimaturum esse *Mev.* ad *J. L. l. i. t. 7. a. 4. Carpz. P. III. Dec. 265.* Occasione hujus de Matre quoque tutrice controvertitur, an illa nomine liberorum suorum id præstare posse? quod affirmandum putamus, nullatenus obstante *l. 4. pr. b. t. cum tempore, quo Divi Fratres matrem arcendam scriperunt, materna tutela adhuc fuit incognita, & sic matrem saltum ut matrem, non ut tutricem jurare prohibuerunt, Borch. dict. C. 3. §. 21.* Dissentit sine causa *Job. Voetius ad Tit. ff. de in lit. jur. I. 3.* Non enim, quam opinatus Voetius Glos. secutus, vera arcendi matrem est ratio, nimia affectio matris in filium, alioquin nec actori ipsi in causa propria jurare permitteretur, cum quilibet sibi affectior; sed quia mater quæ tutrix non est in causa filii nec Domina est litis, nec pro Domina habetur. *Vid. Zaf. ad l. 4. n. 4.* De Procuratore etiam quæri solet, an is nomine sui Principalis in item de affectione jurare possit, quod, cum is per litis contestationem fiat Dominus, prima facie affirmandum videtur, quia tamen saltum improprie fit Dominus, nec item suo nomine contestatur, ipsum arcendum per *l. 7. b. t.* verius est. De Jure tamen Canonico, & secundum *Recessum imperii Spirensim de An. 1600.* & *Ratisbonens. de Ao. 1664.* speciali mandato ad hoc instructus in item jurare poterit, *Stryk. de Cani. Jur. Cap. 3. pos. 3. n. 180.*

§. V.

Hoc dubio vacat neminem cogi posse, ut juremento in item affectionis rem restituendam estimet *l. 1. 2. C. b. t.* sed vel de veritate jurare, vel omisso juramento potest petere adversarium condemnari quanti res est *l. 7. de R. V.*

CAPUT IV.

§. I. Qualitas rei juramenti. in lit. affect. recipientis, ubi occaſionaliter refutatur *Thomaf.* & *Ludovicus solam probantes affectionem, que ex ambitione oritur.* §. II. De rebus fungibilibus non jurant in lit. affect. §. III. An de rebus incorporalibus? ubi simul disputatur contra novam *Thomaf.* divisionem juramenti in lit. affect. in regulare & irregularē. §. IV. An de immobilibus?

§. I. Res

¶. I.

Res apta, ut super eā Juramentum in lit. affect. præstari possit, in genere ejusmodi esse debet, cuius pretium est incertum & secundum locorum, temporum, varietatem mutabile. *I. pretia rerum §. fin. ad Falc.* ac in qvam specialis aliquva affectio cadere potest. Qvamobrem *Dn. Syrk cit. loc. n. 275.* reo commendat Cau-telam, ut inqvirat, an Actor rem petitatam ante venalem habuerit, qvo probato actorem non admittendum statuit qvam doctrinam, cum teste Zalio *ad l. 5. ff. n. 26.* non habeat contradictem, cum ipso in medio relinqimus. Pulchram tamen eam & notabilem vocal. d. l. si est vera. Oritur autem affectio ex affectibus humana, afficimurque proprie erga personas, cum res non tam amamus qvam iis fruimur: Interim tamen homines affectione erga res nimium duci, qvotidiana testatur experientia, qvæ ipsa tamen in-differens esse potest, si non tam propter rem ipsam qvam pers-onam aut aliam extrinsecam rationem nascatur. Eqvidem ex ju-dicio *Dn. Ludovici d. tr. b. t. Distinct. 2. Dn. Thomatis d. Dissert. c. 1. §. 22.* egregiam hic navavit operam, qvaf rem ipsam ex fundamento explicaverit. Qvam gloriam ipsi haud invidemus, sed faciem potius ei illustranda subjecturi, ni suis utriqve inventis hanc inqvinascent doctrinam. Tres illos fontes, ex quibus, tan-
qvam rivuli, omnes humani profluunt affectus, scil. ambitionem, voluptatem & avaritiam lubentes cum ipso *Dn. Thomasio agno-scimus*, sed in eo nimis quantum mihi curiosi videntur, qvod adeo rigorose judicem compellant, ut ipse anteqvam juram. in lit. affect. defert, sollicite in ipsum fontem, unde illa agentis affectio pullulat, inqvirat; Cum tamen nulla poterit ostendi lex, qva hoc judici injungitur, sed saltem simpliciter jubetur, ubi controvertitur de re, qvæ præsumtive affectionem recipit, hoc deferre juramentum acto-ris arbitrio, ubi is rei restituendam non tenetur, ut communiter rerum pretia definiuntur, sed ultra verum definitum rei pretium suo arbitrio estimare *l. 4. ¶. 3. l. 8. b. t. l. 70. de reg. jur.* & hoc iusta inductum ratione, qvia, sicut in voluntaria venditione Dominus ponit pretium rei suæ, ita multo magis ipsi hoc conce-dendum erit, in casu, ubi dolo rei coactus rem suam qvaf ven-dere

dere debet, nec adversarius de injuria juste querolatur, cum rem
restituere debuisset. Aperte ergo labitur Dn. Ludov.; quando
cit. loc. praeunte tamen Thomas. hanc exstruit regulam: *Pretium
affectionis ex ambitione proveniens, licet sit affectio extra rem, iuramen-
to in lit. affect. locum concedit, secus quam illud, quod ex vo-
luptate oritur.* Nam ut demus, JCtos Romanos, utpote Ethni-
cos, ambitionem, si non in classem virtutum retulerint, tamen
non ita turpem habuisse, ut avaritiam; quod inde quodammodo
patet, quod illi, qui quantum causa in certamina descendunt, famosi
pronuntientur. l. 2. §. 5. de his qui non in f. Isti vero, qui vir-
tutis gratia pugnant, non tantum non sint infames, sed insuper
primum victoribus destinari soleat L. un. de Athl. ibique DD. Ex
eodem gentilismi principio fluit, quod legibus nostris l. 2. ff. de
Athl. iusus, qui virtutis causa sunt, sunt permissi, qui lucri gratia
prohibiti: Sed inde omnem damnam voluntatem & qua inde ori-
tur, affectionem, nulla justa est ratio, nec leges unquam fecerunt.
Potius Veteres sicut Venerem ita amorem quoque duplensem fecerent;
Putum alterum & honestum, quem & coelestem nominarunt, al-
terum vulgarem & spurium. Sic ponamus casum: Sponsus sponsa
ex antiquo more Kirchn. de annul. pag. 198. annulum pronubum
donat, donatum sponsa alteri commedat, commodotarius dolo-
ustum restituere renuit; sponsa à Jusice desertur jurament. in lit.
affect; illa annulum ex affectione, quod à Sponso accepit, estimat
200. solidis, cum vere saltem 150. constiterit. Qvis hic negaret,
hanc affectionem erga rem scaturire ex voluptate? sed qvis inde,
nisi inepte, negaret juramento in lit. affect. locum hic dandum.
Idem esto judicium de re alteri ab amico intimo donata. Quibus
& similibus casibus verius statuitur, reum in estimationem jurato-
ratus condemnandum esse, licet pluris, quam vere constiterit, ex
affectione honesta actor rem taxaverit: Magis enim jura dolum
adversarii punire voluerunt, quam quod respicerint ad originem
affectionis agentis. Exemplum à Ludov. & Dn. Thomasio addu-
ctum de Linteolo aut ligamento affectionis germanice, Affectiones
Bandchen est ridiculum ac jocosum, qualia ut minora, prator
merito non curat. Legem 6. §. 1. de Oper. Seru. quam Dn. Ludov.

pro

pro confirmatione dictorum in fine subjicit, sinistre applicatam, ipsum Dn. Thomas. cuius vestigia alias fideliter legit, docebit in all. *Diffr. Cap. 3. §. 6.* ubi ad hunc textum, qui ab iis qui juram. in lit. affect. prorsus negant, adduci solet, recte respondet, ibi non agi de dolosa denegata rest: nec de æstimatione facienda secundum affectionem, sed secundum veritatem, ac tum constat nec voluptatis nec ullius affectionis rationem habendam. Eodem modo accipienda l. 36. ff. ad l. *Falc.* Tandem eorum opinio expressis Juris nostri redarguitur Textibus, ex quibus unice L. 54. ff. *Mand.* adducemus, ubi JCtus Papinianus ita ait: *Placuit prudentioribus, affectus rationem in bona fidei judiciis habendam, finge: Filium naturalem vel fratrem esse.* Relinquendum ergo ipsius jurantis conscientia, nec presumendum quod is pro exiguo temporali lucello cum periculo vita æterna nimium suis indulgeret affectibus ultra honestatem rem restituendam astimando; Et Iudex prudens jam providebit, ne jurans terminos excedat honesti. Sin tamen ædificanda sit regula, potius hanc nostram, ut magis speciosam, substituimus: *Pretium affectionis permisse facit locum juramento in lit. affect. non attenuo, utrum ambutioni an voluntati licite suam debeat originem.* Conferri potest *Phan. diel. tr. p. 1. m. 4. n. 55.* ubi justas assert affectionis causas.

§. II.

Quando vero de re restituenda agitur, quæ nullam omnino recipere potest affectionem, tum desuper juramentum in lit. affect. deferri ac prestari nequit. Sic cum in res fungibles, quæ natura sua ita comparata, ut aliae aliarum fungantur vice, & si alia ejusdem generis reddatur, non tam aliud pro alio solvatur, quam idem reddi censeatur, nulla cadat specialis affectio, conseqventer nec in iis juram. in lit. affect. locum habere potest. Et hoc non restrin- gendum ad pecuniam, cuius sit mentio in l. 3. ff. b. 1. & cuius perpetua æstimatio esse perhibetur l. 1. pr. ff. de Contrab. emi; sed extendendum ad vinum, oleum, frumentum aliasque species terum fungibilium.. *Quid enim, ut utar verbis Hunni de Rer. estim. Sct. II qv. 16. pag. 192, interest, utrum vinum tunum apud alium depositum in specie recipias, an aliud ejusdem generis & quantitatis,*

titatis? certe nihil; sed num in vinum ceram poteris habere affectionem, iuxta quam illud jurejurando estimes? Nullo modo. In numerositatibus tamen jurari posse de affectione constat ex Brunnem. ad leg. 3. in fin. Phanuc. P. l. m. 4. n. 55.

§. III.

De rebus incorporalibus gravius dubitatur, utrum super iis juramentum hoc praestari queat? Dn. Thomasius dicta Dissert. C. 3. §. 7. inquit, harum rerum propriæ nec pretium esse, minus affectionis, & cum contra expressos textus l. 7. si serv: vend. l. 10. ff. b. t. negare non audeat, juramentum in lit. affect. in his rebus locum sibi vindicare; novam juram. in lit. affect. divisionem panguit, nempe in regulare & irregulare, hoc vocans, quod super incorporalibus praestatur. Verum non indigemus hoc novo Ente, sed idem specie juramentum in lit. affect. esse statuimus, quod super re corporali ac incorporali praestatur, ne, si ratione rei in judicium deducatur species jur. in lit. constitutæ velim, infinitas eas fingere debeamus, cum infinitæ sint res, quæ per juramentum in lit. estimantur. Et quidni æque daretur pretium rerum incorporalium ac corporalium? Et quid quæ obstat, quo minus affectio in has cadat cum secundum quosdam servitutes solus amici gratia constitui possint, l. 3. ff. de aqua quotid. et affect. Franc. Tur. de Scrit. n. 73. seqq. earumq. estimatio tota in affectione consistat, quod præcipue ostendunt servitutes ne prospectui officiatur, item ne luminibus. Sic esto casus. Habeo iter per fundum alienum ad meum huic adjacentem, hic maxime potest pretio esse locus, quod estimandum ex utilitate intercepta, vel damno illato, quid enim si illam servitutem certo mihi comparaverim pretio? Potest etiam adesse pretium affect. propter amicitatem itineris, quare ego pluris iter æsumo. Quando itaque juro de utilitate, quæ mihi ob negatam servitutem vere abest, erit saltem juramentum veritatis, cui denuo non adversatur illa Dn. Thomasii Cap. 3. §. 8. dict. Dissert. hypothesis: ob dolum de veritate in item non jurari. In stricti enim juris judicis & quando de re controvertitur, quæ nullam specialem patitur affectionem, & ubi actor simplici estimatione

matione contentus esse mavult, quam de affectione jurare, utiq; etiam ob dolum juratur in litem de veritate, qvod dum non antimadvertisit Dn. Thomas. incidit in devia putans jurament. in lit. verit. ex communii sententia semper ob levem culpam nunquam ob dolum locum habere, cui adstipulari videtur Dn. Stryk de Cau-telis juram. Cap. 3. Pos. 3. n. 20. ibi saltem propter culpam qvamq; inde recedere videatur n. 132. seqq. Nobiscum sentiunt Lynk cu. loc. ib. 22. ibi in Parenthesi etiam quando. Job. Vocum h. t. ib. 1. Titus in sua jurispr. privata libr. 2. cap. 15. §. 7. Quando autem vera rei incorporalis utilitati accedit affectio, propter qvam negatam servitutem pluris estimo, propter dolum adversarii utiq; admittendus ero, & tanti condemnandus reus qvanti jurabo. Re-peti hic debent, qvz dicta Cap. 3. §. 2.

§. IV.

De rebus immobilibus anceps est qvæstio, an super iis hoc juramentum præstari possit? Lauterb. hoc ut. id affirmat, negat Wusenb. cod. cuius propugnator est Dn. Thomas dicit. Disser. Cap. 3. §. 23. Sed nimis debiles sunt, qvas pro sua adducit sententia, rationes; nam argumentum qvod ex leg. 48. §. 1. Loc. deducit; est inane. Inde enim, qvod JCTus dicunt non solum de servo, sed & alia re mobili, in litem jurari posse, non excluditur res immo-bilis, cum JCTus verba illa; vel aliam rem non immobilem, modo adjecerit, ne qvis putet, ipsius orationem ad solum servum re-stringendam. Neque magis firma, qva præcipue movetur, est ipsius ratio §. 33. adducta, nam utiq; casus accidere potest, quo res immobilis manu militari auferri nequit, v. gr. Reus dolo de-sit possidere alienando rem dolose in tertium, eamq; ipsi tra-dendo, hic judici ademta potestas transferendi possessionem in Actoriem, cum à novo possessore res sine justa cognitione auferri non debeat, qvod res inter alios acta aliis non præjudicet tot. ut. C. inter alios acta &c. L. 2. fin. C. qvibus res judicata non noc. Nullam ergo aliam viam Judge hic ingredi potest, qva sine Actoris incommodo, & sine commodo rei dolosi rem ad effectum deducere posit, qvam, si deterat Actori jusjur. in lit. affect. cui eo magis

magis locus dandus, qvod nullus dubitare potest, qvin in rem immobilem specialis affectio cadere possit. Et qvo omnis tollatur scrupulus, proferimus l. 41. §. 1. ff. de Re jud. ubi agitur de fundo restituendo, qvem si reus dolo desit possidere, desuper in item jurandum & tanti, quanti juratum, reum condemnandum, dicitur, qvem textum ipse Dn. Thomas. ni contradictionem committere velit, de Juram. in lit. affect. interpretari debebit, cum ex ipsis, licet falso, supposito, ob dolum de veritate non juretur. Apprime itaq; Dn. Lauterbachius allegavit l. 68. ff. R. V. cum ibi in genere asseratur, contra eum qui dolo fecit, qvo minus rem restituere possit, in item jurari debere, qvod speciali exemplo de re immobili declaratur l. 41. de Re. Jud. Regula loco ergo tenendum; In omni re tam mobili quam immobili, incorporali & que ac corporali positis terminis habilibus juram. in lit. affect. locum habere posse.

CAPUT V.

§. I. Ponitur Regula, in qua actione jurari nequit. §. II. In B. F. actionibus juratur in lit. de affect. etiam emi, ubi insignis Thomasi error notatur, quando statuit in casum rei existantis nunquam de affect. jurari in item. §. III. It. in arbitriis. §. IV. Non vero in stricti juris, nec de Jure Civili, ubi refutatur Dn. Thomas. in verbis in Tribonianum & Iustum. Marcianum, nec de praxi contra Ludov. §. V. De effectu juris jurandi in lit.

§. I.

Ultimo dispicere restat de debita actionis qualitate. Qyamvis enim dolo adversarii res non restituatur, non tamen statim desuper juramentum hoc deferri potest, sed insuper ipsa actionis natura attendenda, & secundum eam res definienda. Sic in nulla actione, qva non ad rem restituendam agitur, in item de affect. jurari potest. (Verbum tamen restituere large accipimus, ut & tradendi ac exhibendi contineat.) Nemo ergo mirabitur, cur in l. 33. ad l. Aquil. negetur, in ea de affect. in lit. jurari, cum ipsa hujus

hujus actionis natura sit, damnum estimari juxta verum pretium vid. *Siruv.* in *Evolvi.* p. 257. Ob eandem rationem in actionibus contrariis, ubi non de fide erupta, sed de indepitate saltem agitur praestanda, cessat juramentum hoc l. 5. princ. depos.

§. II.

Quando nunc versamur in actione, ubi de restituenda re agitur, an tum indistincte juramento affect. in lit. locus dandus sit, mirum controvexitur. Et quidem qva actiones B. F. plerique consentiunt e. gr. *Commodat.* *Depos.* l. 3. §. 26. *Locat.* &c. nisi quod quidam actionem emit in dubium vocent (1.) per l. 4. *C. de act. emit.* (2.) quod hic affectio ostendi nequeat, & qvæ alia sunt actiones; qibus tamen opponimus quod in genere dicitur, in B. F. actionibus jurare de affect. & quod hic concurrat ratio, ne creditori invito aliud pro alio solvatur. Nec qvæ pro coartaria sententia adseruntur argumenta, solvere difficile est. *Ad primum* enim diversimode responderi potest, scil. vel ibi supponi casum, ubi quis non habet affectionem in rem venditam, vel quod ejusmodi res vendita, in qvam ne cadere quidem potest affectio specialis, vel loqui textum de ipso juramento in item affectionis, *Thomas.* cit. *Dusert.* c. 1. §. 23. quo loco tamen duplicum ob rationem notandus, & quod recoquat opinionem suam, secundum qvam in re immobili cessat juramentum affectionis, & quod in genere afferat, in casu rei existantes jurati in item de affectione non posse, in quo itidem ampliter errat. Neque enim quisquam, præter *Anton Fabrum* ea propter à *Bach.* tr. de *Act. D. VII.* tb. 13. castigatum, opinor, hoc dixit, & si quis dixit, nequaquam ei subscribimus, cum contrarium expressè decisum in *lege* 8. ff. b. 2. cuius legi verba, ad redargendum hunc errorem, ut ita cum *Bach.* all. l. loquitur, adscribere lubet: *Tutor rem adniti, quam possider, restituere ei non vult, quero, utrum quanti res, an quanti in item juratum fuerit, condemnari debet?* R. Non est equum prelio (i. e. quanti res est,) item estimari, cum & consumacia punienda sit, & arbitrio potius Domini rei preium statuendum sit. potestate peiori in item juranti concessa. Add. l. 46. 47. de *R. V.*

L. ult. de fidel. juss. conf. Vinnius ad Inst. Tu. aet. §. 31. n. 9. Alterum fallum esse sequens declarabit Casus. Finge: obligavi tibi Digestum, in quo studueram sub hac conditione, ut nisi intra certum tempus redimerem, licet tibi distrahere, distraatum postea emi ab emtore, hic recusat traditionem perficere, condemnandus erit, non solum ad commune ff. pretium, sed ad id, quod ex affectione erga Digestum quondam suum estimatur. Et hanc nostram sententiam teste Lynk. cit. l. th. 10. forum receperit. Disserit Job. Voetius ff. b. 1. §. 5.

§. III.

In arbitriis actionibus jur. in lit. affect. locum habere ut rei vend. act. de dolo, quod metus causa &c. inter plerosque DD. constat per l. 68. de R. V. quas singulas enumerare supercedemus, remittentes B. L. ad Malleri Comm. ad Struv. Syntag. Exerc. 17. th. 63. ubi prolixum earum contextum catalogum. Hoc unicum saltem hic monemus, plane non sequi; In hac vel illa actione juratur, quanti interest, ergo juram. in lit. affect. in ea cessat, ut id perpetuo contendere videtur. Ant. Faber. l. 16. conj. c. 18. et Dec. 9. Err. 4. quod etiam inclinare videtur Brunnem, quando ad l. 4. C. ad exhib. contra non exhibentem, ait; aut nimis sero exhibentem dari juramentum in item non affectionis, sed veritatis, quo juro, tanti mea interfuisse, exhibitionem non fuisse dilatam. Nam interesse duplamente juramento in item estimari potest, vel communis estimatione, vel suo arbitrio ac speciali affectione, illo casu erit in item veritatis, hoc affectionis juramentum. Cum itaque in l. 5. pr. ff. de in lit. jur. l. 3. §. 2. ff. l. 4. C. ad exhib. de deserendo juramento in item agatur, hoc accipendum, non de veritatis, sed affectionis, (quod teste ipso Brunnem. καὶ ἐξοχὴν juram. in lit. appellatur,) ita quidem, ut Actori concedatur suo singulari arbitrio interesse contra dolose non exhibentem jurato taxare. Qvo facto reus condemnandus non in id, quod exhibitionem postulantis interfuit, sed quanti in item juratum. Unde hic notabilis fluere effectus videtur, reum, si probare sit paratus, actorem ultra, quam vere communiter suā intersit, jurasse, audiendum non esse. Conferri debent dicta §. 2. C. 3.

§. IV. Res.

J. IV.

Restant adhuc actiones stricti juris, super quibus duplex hodie exsurgit quaestio, altera, utrum Jure Civili in his juram. in lit. affect. locum habuerit; altera, utrum praxi hodierna. De Jure Civ. plerisque DD. negativa approbatur C. A. b. t. ib. 6. Bachov. Diff. 7. de Act. ib. 12. circa fin. Borch. d. tr. C. 4. n. 76. 77. & alii innumeris. Sed noviter Dn. Thomas. cit. diff. c. 3. §. 24^a qvorundam id affirmantium sententiam, more solito refuscitavit, eamque defensavit, cuius castra novissime suis argumentis propugnat Dn. Ludov. citato Diff. 1. b. t. quos fecutus Böhmer in Introd. suā ad ff. b. t. §. 5. in fin. qui tamen sibi ipsi §. 9. eod. nō contradicunt. Verum cum nec quicquam proferant, quod aliquem in ipsorum pertrahere posset partes, nec solide, quā à communī stant sententia, discutiant momenta; communī magis utpote priori sententiæ nostrum addimus calculum. Et quidem communis illa opinio probatur (1.) ex Principio l. s. ff. b. t. ubi, cum Ictus definire velit, in quibus actionibus in litem juratur, in actionibus, inquit, in rem & ad exhibendum & in B. F. iudicis in litem juratur, unde concludimus in stricti juris judiciis non jurari, qualis à contrario sensu desumpta argumentatio, de jure ff. est firmissima & adhuc magis hoc nostro casu, ubi ex professo negotia, in quibus locum habet juram. in lit. affect. Ictus recenseret. (2.) Nititur textu in l. 6. b. t. ubi Paulus expresse ait, Si ex stipulatu vel testamento agatur, non solet in litem jurari. Cocco ergo esse oportet, qui cum Domino Ludovico citato loco hanc legem 6. communī sententiæ adversari, eamque male à Laurbachio pro ea allegatam esse, contendere volunt, cum vix quicquam apertius pro ea stabilienda adduci possit. Sed, inquis, quā ratio differentia? Meier. C. A. ib. 6. ex Bach. Diff. 7. de act. ib. 12. circa fin. hanc apponit, quia in stricti juris actionibus agit, qui non Dominus est, quā ratione tamen sibi ipsi contrariatur, cum affirmet, in actione emti locum habere Juram. in lit. affect. & tamen constat, emtorem ante traditionem nondum esse Dominum; Qvare quoque admissa illâ ratione, rectius Bachov.

Donec-

Donellus l. 26. cap. 8, negant, in actione emti id locum habere.
 Nos adæqvataam ejus rationem potius constituimus in ipsa diversa
 natura negotiorum B. F. & stricti juris, cum illa ita comparata,
 ut Judex in iis reum condemnare possit, etiam in id, de quo non
 cogitatum. In his autem Judiciis potestas adeo restricta, ut ultra
 quam in judicium deductum, reum condemnare haud debeat,
 quod in stricti juris judiciis non tanta doli exigatur præstatio,
 l. 152. §. fin. de R. f. L. ult. §. 1. de fid. iii. Probatio contraria
 sententia, quam Dn. Thomas. & Ludov. ex l. s. §. 4. petunt,
 est infirma. Licet enim ipsis eorum interprætatio displiceat, qui
 istum §. de juram. in lit. Verit. exponunt; ipsa tamen verba
 finalia cit. §. quia Judge &c. hunc insinuant sensum, & ut sit
 concordia cum ceteris textibus, illam quodammodo necessitant
 interpretationem. Dicitur enim ibi, in stricti juris judiciis jurari
 in item, quando Judge sine relatione jurisjurandi non potest
 rem, quæ non existat, estimare; nunc constat juram. in lit. affect
 locum habere, etiam si Judge rem estimare possit, (ut supra hunc
 Thomasii nævum denudavimus, conf. Bach. d. VII. th. 15. de
 al. ubi hanc hypothesis modo falsissimam modo ineptam vocat)
 ex ratione, quia hic juratur de affectione, jurans autem affec
 tionem Judge scire nequit, quamvis rei, de qua litigatur, valo
 rem optime noverit, ac licet testes produci possint, quibus no
 tum, quanti res vere constituerit, nam & illis ignota esse potest,
 quam jurans erga rem habet affectionem Per rerum ergo naturam
 non potest aliter accipi §. iste, quam de juramento in item veri
 tatis, cui isto casu demum locus, ubi ejus estimatio circa jusjudi
 randum fieri nequivit: Nec, quam fingit Dn. Thomas. moramus
 divinationem, qui cum hic nullum inveniat effugium, subjectam
 Marciani rationem inter Emblemata Triboniani sine omni libro
 rum suffragio refert, quasi is eam infarferit Cap. 3. §. 16. Quali
 tamen medicina in sano membro non opus, quin interdicitum,
 ad ejusmodi asyla ac præsidia circa necessitatem contra leges con
 fugere. Et lubrica est conjectatio, quam Dn. Thomas ex cit.
 §. verbis: Aetio stricti judicii, cogit, quam loquendi formulam
 antiquis JCis insolentem esse dicit. Nam non possumus nu
 mero

mero eandem ab omnibus J^Cris loquendi formulam exigere, alia enim aliis placet, h^ac ut elegans nostro arrisit Marciano; eodem modo, quo Ulpianus vocat stricti juris judicia l. 3. §. 2. ff. *Commod.* qvæ denominatio, ni fallor, jure nostro qvæ rara, sed ideo istum qvoqve §. inter emblemata Tribonianii referre, nimis temerarium fore. Subacta magis in Latinitate antiquorum J^Ctorum aures has voces minime Tribonianum redolere facile audientur. Alter enim ut *Vnn.* l. 1. qv. 45. in fin. ait, olen catuli, aliter fues. Longe exadiu^s alba & altra discernere novit magni nominis J^Cteus Franciscus Duarenus in *Tit.* ff. de in lit. jurum, ad l. 5. n. 13. cuius verba apponere non pigebit, ita resonant: *Etenim stricti iuris actio aut judicium nunquam in veteribus emendatisque codicibus, qui manuscripti sunt, legitur; sed actio stricti potius, strictum judicium, actio stricti judicis.* Sed plerosque locos corruperunt, vel diligenterissimi quique Typographi nostri temporis &c.

Qvo modo cum hujus consummatissimi J^Cti Duareni utpote oculati testis effato Dni. Thomasi conjectura concordet, qvamque adhuc mereatur fidem penes lectorem fit judicium? Neque credendum Marianum hac sua ratione, qvam temere idem Dn. Thomas. §. 15. C. 5. ineptam vocat, contradicere Ulpiano l. 4. §. 4. b. t. sed potius h^ac diversa J^Ctorum loca distinctione utrum res exstat vel non, concilianda. Minus opus est, (ut has difficultates sibi frustra excitat Dn. Thomas. cap. cit. §. 24.) Legem 60. §. 1. ff. ad leg. *Falcid.* accipere de juramento in lit. verit. vel antinomiam inter istam & l. 6. statueret; Res enim expedita est, si eam interpretemur de casu, qvo legatum per rei vindicationem, in qva, utpote arbitratia actione, in item juratur, petitur *Gothofred.* & *Gloss.* ad cit. l. 60. §. 1. F. Evicta ita veritate communis opinionis, de Jure Civili in stricti juris Judiciis de affectione non jurari in item: Tandem transeundum ad questionem de moribus hodiernis, cuius tota decisio dependebit à prejudiciali questione, num hodie omnis qvæ Jure Romano inter B. F. & stricti juris judicia intercessit dif- ferentia, sit sublata? qvam questionem dicunt Ludov. in sepe al- legat. ir. *Tit.* de paet. *Titius Obs.* 1150. ad Lauterb. qvibus tamen objicimus *Sirnuvum Exerc.* 46. ib. 74. Berg. in *Resol.* ad l. 8. in fin. qui

qui rectius sentiunt eam nec Jure Canonico C. 3. de caus. Possess. & prop. C. final. X. depositi c. 6. X. de except. nec moribus omnino abrogatam. Qvin Faber de Erroribus Pragmat. scribit; Hanc distinctionem hodie quoque esse attendendam, aut totum jus subvertendum, quorum sententiam præjudiciis ac exemplis facile, si opus foret, comprobare possem. Vid. interim Herzina de frumentum pers. in act. pers. ib. 15. &c. add. illustris Dn. Mevius Cons. 99. qv. 2. per totum præcipue n. 42. Nullatenus vero stringit ratio, quæ in contrarium Dominum Ludov. aliosque compulit, quod scil. hodie cessent Judices Pedanei, quorum intuitu differentia inter hæc duo judicia inducit. Neutiquam enim Judicis Pedanei potestas in B. F. contractibus laxior, & in stricti limitatio erat, quod esset Judex Pedaneus, sed, prout supra dictum, quod ipsa diversa B. F. & stricti juris negotiorum qualitas svaferit diversam hanc juris dispositionem vid. Puffendorffius de jure naturæ & Gent. Libr. V. cap. II. §. 2. &c. quod inde ad oculos ostenditur, quia in utroque negotio Judex Pedaneus intervenie. Deinceps si huic Domini Ludov. argumento vis sua constet, quod vicies, ni ultra, quando usum Juris communis destruere conatur, urget, quomodo idem salva ejus autoritate, hodiernum usum inter officium Judicis nobile & mercenarium concedere potuit. Libr. V. Tit. I. Dispt. 20. Neminem enim, qui paululum modo penitus Juris nostri intima penetravit, latere potest, illam distinctionem ad Judices Pedaneos & processum Romanorum formularium pertinere; Ut id præter alias eleganter docet Vinnius Comm. Instu. Tit. de off. Jud. ubi ista loquitur: *Aliud est Veteribus officium ius docens, aliud judicis, alterum juris auctoritatis, alterum notioris nude, illud interpres vulgo officium Judicis nobile, hoc mercenarium vocant.* Cum ergo Dn. Ludovic. usum conclusionis, quæ originem ex ipsis sensu debet diversitatí officii Judicis & Magistratus, admittat, immerito certe in aliis juris articulis ex hoc solo fundamento istum negat. Nullus itaque afferere dubito differentiam, quam ratione iuram. in lit. effect. inter B. F. & stricti juris actiones de Jure Civ. propugnavi, & hodie obtinere debere, ni contraria convivitudo doceri possit, ne quicquam dissentientibus

Dn. Ludov.

Dn. Ludov. cit. l. Titio Obs. 340. in Lanterb. it: in Jurisprud. sua
 privata l. 2. cap. 15. seductis falsa, à nobis jam destruenda, hypo-
 thesi, quasi illa differentia ex nullo alio fundamento quam restringo
 ad formulam judicis officio derivari possit. Nam potius firmiter
 credimus, nec Praetorem, si ipse judicis defungi voluisse munere,
 in stricti juris actionibus potuisse juram. in lit. affect. deferre, cum
 leges prohibitoriae id non admiserint. Evidem Dn. Ludov. &
 ali, quo sua sententia autoritatem quandam concilient, provocant
 ad Dn. Carpzov. P. I. C. 23. def. 19. n. 7. quem tamen Brunnem.
 ad l. 5. ff. in b. t. accipit de juram. in lit. verit., qvæ interpretatio
 eo magis recipienda, qvod ex precedentibus constet, ipsum prima-
 rario non tam de differentia inter b. f. & stricti juris actiones, quam
 de ipsa divisione juramenti in lit. affect. & verit. loqui, statuentem
 n. 9. arbitrio Judicis relatum, utrum velit deferre; qvod tamen
 oppido falsum judico, dum Judgez. nec olim potuit, nec hodie potest
 juramentum in lit. affect. deferre, ubi res culpa perire, & debet, positis
 terminis habilibus, ubi ob dolum res restituiri nequit, qvod in Patria
 minus dubii habet, cum Ordinatione Summi Tribunalis P. II. Tit. 34.
 §. 10. statutum, omne. qvod de juramento in item jure communi
 introductum, id in praxi observari debere, conf. Sryk in usu. mod.
 ad t. ff. de jur. in lit. §. 2. Et, concessio, Carpzovium loqui de
 sublata differentia inter b. f. & stricti juris actiones qvà juram. in
 lit. affect.; illa tamen assertio terminanda erit intra fines Saxonie,
 extra eos vero dispositioni juris Civil. & hac in parte inherendum,
 ni contrarium vel consuetudine aut lege speciali constitutum do-
 ceri possit, secundum decantatum & receptum juris axioma, qvod
 non mutatum, cur stare prohibeatur: licet me non lateat, istam, ut
 vocant, cantilenam auribus novas edere deproperantium opinio-
 nes, atq; ex infida explicatione antiquarum & obsoletarum vocum
 Germanicarum gloriolam aucepantium per quam esse invisam ac
 molestem. Vid. Conradi Snelri Epistolam ad Amicum.

§. V.


De effectu hujus juram. in lit. affect. paucula adhuc subjici-
 emus. Præstito juramento, sequitur condemnatio, & qvidem re-
 gulariter in quantitatatem ab Auctore jurata; quando tamen propter
 D rei con-

rei contumaciam] in arbitrio Judicis fuit deferre jusjurandum vel non, cum Judex haud tenetur quantitatem jurejurando definitam præcise sequi, sed reum vel minoris condemnare, vel si magna causa doceri possit, absolvere potest l. 5. §. 2. ff. b. t. l. 4. §. 3^o fin propter id juramentum hoc delatum, quod dolo vere possidere desierit, nec magna retractandi causa præsto sit, Judex præcise reum in quantitatem juratam condemnare debet, cum hoc casu ipsum oportuit jusjurandum deferre, nec ab initio certam adjicere quantitatatem potuit. Cum ergo *J. Cius Paulus* in l. fin. ff. b. t. ait, *De perjurio eius; qui ex necessitate Juris in item juravit; queri facile non solere, hoc ex l. 4. §. 3. eod. nisi ex magna causa limitandum.* *Vid. Bach. ad Wef. b. t. n. 7.* qui L. ult. restringit ad juramentum veritatis quod DD. necessitatis appellantur. Alius juramenti hujus effectus est, quod, estimatione actori à reo præstata, dominium rei ad reum illico transferatur, si possideat, aut si non possideat, cum ex voluntate actoris possessionem ejus nactus sit l. 46. 47. de R. V. conf. omnino *C. A. iii. de in l. t. jur. ib. 10.*

TANTUM!

Corollaria huic materiæ affinia.

- I. Defendi potest Regula Juris Canonici; Juramentum, quod salva conscientia servari potest, servandum.
- II. Perjurium pœnis humanis coercendum; pœna tamen ipsa est arbitraria.
- III. Perjurium promissorum leviorem assertorio mereri pœnam, quod sit promissorum, Jure forensi est inauditum, nec ullus unquam *J. Cius* affirmavit.



(x228 2796)

ULB Halle
005 372 038

3



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSE^TRAT^O JURIDICA
DE
URAMENTO
IN
LITEM AFFECTI-
ONIS,

Quam
Consentiente Illustri J^Ctorum Ordine

PRÆSIDE
PHILIPPO BALTHASAR
GERDESIO,


J. U. LIC.

Loco Horisqve consvetis

Die Februarii Anno M DCC X.
defendet

RESPONDENS
JOHANN GEORGIUS SCHILLING,
GRYPHSWALDA-POMERANUS.

GRYPHSWALDIAE,
LITERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII
REG. ACAD. TYPOGR.



212.83

036 02